

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Religio ap cum uariis

Norunt multi quod saturitatem uentris sequitur leuitas operis et uanitas mentis. Scriptum est enim: Sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere. Ludere, inquit, non legere. Sunt qui post delicati cibi fercula cum in claustro sedeant, non lectioni et silentio, sed rumoribus et curiositatibus uacant, qui locum loquendi et tacendi nusquam et nunquam seruant, sed instabiles et ociosi nunc hos, nunc illos ad loquendum uocant. Pone, inquit, ori meo custodiam et ostium circumstancie labiis meis; ostium, dixit, non murum. Si enim murus poneretur, loquendi licencia omnino negari uideretur. Sed ostium ponitur qui tempore et loco clauditur et aperitur. Est tempus et locus tacendi et loquendi. Aperitur itaque ostium hora constituta, scilicet in claustro lectioni, in capitulo confessioni, in ecclesia orationi. Clauditur iterum in claustro confabulationi, in capitulo contentioni, in ecclesia uane modulationi.

Hugo ibidem.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

Religio ap] Religio aq P V¹ V² L¹ L²; sedit] cedit C; surrexerunt] surrexere P V¹ V², surrexit L¹ L²; delicati] dedicati P V¹ V² L¹ L²; et nunquam *om.* C; loquendum uocant] uocant loquendum (*cor. intra.*) C; inquit *om.* C; omnino negari *om.* (*cor. in marg.*) M; negari] negaretur (*cor. intra*) B; uideretur] uidetur B P V¹ V² L¹; ponitur] pons M; qui] quod P V¹ V² L¹ L²; hora] host (*cor. intra*) B; clauditur iterum] item clauditur hostium P V¹ V² L¹ L²; modulationi] moderationi C; Hugo *om.* L¹ L²